



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Orator Christianvs Caroli Regii E Societate Iesv

Reggio, Carlo

Romæ, 1612

Occasiones peccatorum doceat fugiendas. cap. 24.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68672)

rorum, & virorum imagines. Prophanos libros eorumque lectionem, cantilenas parum pudicas. In his verò inculcandis, vulgari quadam, communique doctrina contentus minimè sit, est enim minus efficax, nec concionem mouet, sed singillatim ad ipsa crimina descendat; fœditatem, ac damna ante oculos ponens, quanquam in rebus obscœnis singulares actus describere, ne obiurgando quidem est tutum, ne deprauata aures his abutantur, & castæ offendantur. Neque solum acriter incessenda vitia, sed etiam respondendum est varijs hominum excusationibus, quibus ipsi suas conscientias fallunt. Aperiat itaque callidus Doctor fallacias, amoliatur impedimenta, adhibeat remedia, quæ necessaria, & vtilia iudicauerit.

Occasiones peccatorum doceat fugiendas.
Cap. XXIV.

Nequè solum peccata, sed occasiones quoque peccatorum infectetur, siquidem occasionis hoc proprium est, vt matris instar peccatum generet, deinde quasi nutrix in sinu foueat, simul ac lactet. Contra huiusmodi occasiones paratos habeat locos vnde argumenta eliciat, ad earum fugam persuadendam. Subijciam paucos de multis, vt inde ad similia inuenienda aditus cuique aperiatur. Primò proponendæ sunt sententiæ ex sacris literis, ex quibus appareat quanta sit in occasione vis ad ruinam, Nam qui amat periculum peribit in illo; & qui fodit foueam (hæc est occasio parata) incidet in eam, & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber, solent enim inter spineta, ac vepres latitare serpentes. In medio mulierum noli commorari; de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri; Ne delecteris in femitis impiorum, nec tibi placeat malorum via, fuge ab ea, nec transeas per illam, declina, & defere eam. Ob id præcepit Deus, vt intrantes terram promissionis disperderent omnes inhabitatores terræ confringerent titulos, ac statuas comminuerent, vt hoc pacto scelerum occasionem remouerent subdit si non abstuleritis, erunt vobis clauis in oculis, & lanceæ in lateribus. Rursus Nazareis, qui lege iubebantur abstinere à vino, simul ad tollendam occasionem interdixit ne vvas comederent, neque recentes, neque passas, neque delibarent acetum, neque ipsum vux acinum gustarent, Præcepit vt ne, cum Idolum argenteum comminuerent, ex illo argento vas vllum efficerent, quo

Loci argumentorum contra occasiones.

Scripturæ auctoritas.

Eccl. 3.

Eccl. 10.

Eccl. 42.

Prou. 4.

Num. 33.

Num. 6.

quo nulla Idoli memoria, quæ nouæ superstitionis causa foret, apud ipsos, aut posteros remaneret. Christus in Euangelio, cum ait, si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te; si pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te, de occasionibus loquitur omnino vitandis; & Paul. ab omni specie mala abstinete vos. Secundo authoritate Patrum, vtendum est. Vide multa apud Chrysoft. vbi inter cætera eos qui occasiones, & pericula non fugiunt, belluis dementiores esse docet, Auicula nanque (vt ait) semel capta laqueo, mox elapsa, & ceruus in rete decedens, & effugiens, iisdem iterum difficile capiuntur; nam cuique fit experientia cautelę magistra; Nos sæpe iisdem capti in eadem cadimus; sæpius quippę mulierem conspicati, grauiam passi sumus, & tamen eodem vix curato vulnere, rursus in eadem labimur.] Hieron. de Vitando susp. contubernio, Quis iuxta viperam securus somnos capit? quæ etsi non percutiat certę sollicitat.] Item quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habes quotidie, aut perire, aut vincere? Nunquam securus cum thesauro latro tenetur, nec inter vnā cauernam habitans cum lupo tuus est agnus. Alligabit quis in sinu suo ignem, & vestimenta eius non comburentur? ambulabit super carbones, & pedes illius non ardebunt?] Vide Basil. eadem fere dicentem. Tertio loco iuuabit rationem afferre, qua quisque optimę intelligat pari diligentia cauendum sibi esse & peccatum, & peccati occasionem; cum enim hominis natura post miseram primi parentis ruinam iam collapsa, & corrupta, & sensus nostri ab ipsa adolescentia, in malum proni sint, si obijciatur occasio, quæ ad flagitia impellat, ac vehementer moueat appetitum, & fomitem deprauatum, quis dubitet præsentē obiecto affici turbarique hominem? ac tanto maiori ad ipsum impetu ferri, quanto vehentior se occasio obijciat? perinde enim tunc temporis accidit, ac si quempiam ex graui morbo debilitatum, in decliui, ac lubrico loco ambulantem tu brachio impellas, quam enim facile ruet in præceps? quid si quis ex cera compactum habens corpus, proximę ad ignem accederet, contenderet tamen seriõ cum adstantibus, fore vt nulla ratione liqueberet, non ne stultissimam eius contentionem vel ipse probaret euentus? Quæcunque extrinsecus obijciuntur, mouent oculos, aures aliosq; sensus exteriores. hinc ad interiores transmittunt rerum ipsarum similitudines quibus amor, cupiditas, odium

*Matib. 5.**1. Theff. 5.**Periculum in occasione.**Hom. 15.**ad pop.**Amb.**Epist. 47.**In reg.**breu.**Ratio cõtra**occasionem**mali.*

odium ceterique animi affectus inflammantur, qui rursus ipsius animæ facultates, & voluntates ipsas accendunt, atque in deteriorem partem inclinant; sicut enim intra filicis venas latet ignis, qui ferro percussus elicitur, ita peccatorum semina, & cupiditatum quasi flammæ in membris, ac sensibus nostris delitescunt, quæ oblati postmodum occasionibus excitantur. His adde quod Dæmon huiusce rei minimè ignarus, & naturæ nostræ propensionis satis conscius, varia nobis objecta ante oculos ponit, quæ versutus ludificator varijs artibus non explicat modo, sed colorat, exornatque vt pulchriora, quam reuera sunt, appareant, eoque facilius alliciant, & ad mala vehementius impellant, sic crediderim Euxæ lōgè pulchrius, ac dulcius depinxisse vetitum pomum, vt dum oculis videret speciem, quasi dulcedinem palato perciperet, Et Dauidi Bersabeam longè venustiore, vt rectè a S. Iob. dictum sit; halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur, & à Propheta, Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas. Quartò eorum proderit exempla proponere, qui nimium sibi arrogantes, in foueam peccatorum misere deciderunt, cum ausi sunt ad eius crepidinem propius accedere. Huc pertinet exemplum Dauidis, qui non auertit oculos à muliere; Sampsonis qui Dalidæ contubernium non fugit; Salomonis, qui consuetudinem cum alienigenis mulieribus non abhorruit. Dinæ quæ cum curiosus vagaretur, pudicitia notam inuisit. Alipium amicum suum, scribit Augustinus, Cum ludorum circensium spectacula detestans, multa vi precum à familiaribus ad ea prope cogere, ita accessisse, vt animum prius obfirmaret, oculis ibi semper clausis persistere, cum tamen ad repetitum fortè populi clamorè aperuisset, statim eorum ludorum illecebris irretitū; periculosum est periculo se obijcere. Quid plura inquit Augustinus, vidit, exarsit, clamauit, abstulit secum insaniam, non solum vt cum illis rediret, sed & alios præ illis traheret. Exemplum Iacobi Eremitæ quod plurimum mouere potest, Vide apud Surium mensè Ianuario. Cauendum hic tamen ne multa eorum exempla in concione coaceruentur, ne improbi inde minus graues suos lapsus interpretentur, quando tot talesque viri corruerint. Quinto etiam in medium producantur ij, qui quanti referat malorum occasiones subterfugere suo exemplo nos docuerūt, quod tutius, & efficacius erit, quàm in exemplis contrarijs enume-

Iob. 41.

Ips. 54.

Exempla.

Lib. 6. Con
fes. c. 8.

enumerandis immorari . . . Hieronymus docet, Ioannem Bapti-
stam licet in ipso matris utero singulari donatum sanctitate,
licet sanctissimis ortum parentibus, tamen ad euitanda quæ-
cumque pericula adhuc puerum in Eremum secessisse. Augusti-
nus sororum etiam suarum contubernia vitabat, non ob ipsas,
sed earum causa, quæ ad ipsas ventitarent. D. Franciscus qui
ob magnum illud diuini amoris incendium Seraphici nomen
obtinet, si quando mulieres admitteret; ad colloquium, illis
ut author est Bonauenti non nisi directis in terram oculis au-
res dabat, ita ut nullam de facie nosceret vsque adeo sibi diffi-
sus est, vir ille sanctissimus, ac penè diuinus.

Hier. To. 9
in Reg. mo
nast. tit. de
Castitate.

Contra eos qui in peccati consuetudine viuunt.
Cap. XXV.

Aliquot sunt hominum genera, quæ conscientia grauius
læsa, & peccati pondere pressa nisi acriori spiritu concio-
natoris agitentur, non facile Dei verbo cedunt, huiusmodi sunt
qui peccati alicuius venenum longa consuetudine suxerunt,
quique penitentiam in aliud tempus, vel in ipsam effatam,
ætatem, ac decrepitam differunt; & qui vel ad cordis duritiam
peruenerunt, vel omnem melioris vitæ spem abiecerunt. Om-
nium horum; & si qui sunt præterea similibus. morbis oppressi
non est Concionatori desperanda salus, sed eo diligentius con-
quirendis remedijs insistendum, quo difficilior miserorum cura
est, propiusque discrimen. Basil. hanc assignat regulam
non esse vnquam horum desperandam salutem concionatori-
bus, quod (inquit) omnia illa officia præstiterimus, quæ ad il-
lorum correctionem pertineant, quæ im benè confirmat per illud
testimonium Isa. 42. citatum à D. Matth. c. 12. arundinem quas-
satam non confringet, & linum fumigans non extinguet donec
eiciat ad victoriam iudicium, & per illud; seruum Dei oportet
patientem esse, cum modestia corripientem eos, qui resis-
tunt veritati; ne quando Deus det illis penitentiam ad co-
gnoscendam veritatem, & respiciant à Diaboli laqueis à quo
captiui tenentur ad ipsius voluntatem. Aliquos hic ego locos
ad hoc ipsum præstandum aperiã, ac primo loco agendum
erit non semel contra eos, qui quotidiana peccandi consuetu-
dine inueterauerunt, quales sunt, qui vsuras frequentant, pel-
licatum exercent, blasphemias passim in ore habent, in quos
videtur cum magno spiritu initio statim inuehi Euangelicus

In suis Mo-
ralibus re-
glu. 70. c. 32

2. Tim. 2.

Isa. 1.
ille